
TABVLA CAPITVLI GENERALIS ROMANI.

Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia.

M. D. LXXXVII.

2

419









ROMAE,

Apud Hæredes Antonij Bladij, Impressores Camerales. 1587.

2



IN NOMINE DOMINI AMEN.



AEC est tabula Diffinitione huiuscæ celeberrimæ Congregationis generalis, in hoc conuentu S. Mariæ de Araceli, Romæ anno Domini 1587. Die 17. Maij, sub Reuerendiss. P. Fr. Francisco à Tholossa totius Ordinis Minorum Generali Ministro: Præsidente in ea Illustriss. paritérq; Reuerendiss. D. Dño Cardinali Medices Protectore nostro colendiss. & ad hoc munus obeundum à Sanctiss. D. N. D. Sixto Papa V. specialiter delegato.

In primis octennio Reuerendiss. P. Fr. Francisci Gonzagæ absoluto. Reuerendiss. P. F. Franciscus a Tholossa è Prouincia Cantabriæ, qui erat Commissarius in Curia Romana omnibus ferè suffragijs in Generalem Ministrum totius Ordinis Minorum cooptatus est qui per sexenium Generalatus munus exercebit.

Commissarius verò Generalis Cisalpinæ familiæ Reuerendiss. P. Frater Thomas à Massa Prouinciæ Marchiæ Minister.

Procurator Ordinis in Romana Curia instituitur adm. R. P. Fra. Franciscus de Arcubiaga, Custos Prouinciæ Cantabriæ.

Commissarius in Romana Curia instituitur adm. R. P. Fr. Paulus de Grauina, Minister Prouinciæ Sancti Nicolai.

Diffinitores Vltramontanæ Familiæ.

Adm. R. P. F. Frãciscus de Astudilio Minister Prouinciæ Flãdriæ.
Adm. R. P. Fr. Ioannes Hayo Minister Prouinciæ Coloniæ.
Adm. R. P. F. Frãciscus Alderete Minister Prouinciæ S. Iacobi.
Adm. R. P. Fr. Hieronymus de Contamina Minister Aragoniæ.
Adm. R. P. Fr. Petrus Normandeo Custos Prouinciæ Turoniæ.
Adm. R. P. F. Petrus Colõgius Cust. Prou. Aquitaniæ antiquioris.

Diffinitores Cismontaniæ Familiæ.

Adm. R. P. Fr. Hieronymus ab Ispello Custos Prouinciæ Romanæ, & S. D. N. Sixti Papæ Quinti Confessarius.
Adm. R. P. Fr. Ioannes Maria a Colle Prouinciæ Tusciæ pater.
Adm. R. P. F. Ludouicus à Madalono Minist. Prou. Terræ laboris.
Adm. R. P. F. Bartholomæus à Iudiciaria Guar. Cõuẽtus Aræceli.
Adm. R. P. F. Frãciscus Baserna, Prædicator Prouinciæ Mediolani.
Adm. R. P. F. Marcus Bosnẽsis, Custos Prouin. Bosnæ Argẽtinæ.
Minister Prouinciæ Candiæ.
R. P. Fr. Archangelus Iustinianus, Prouinciæ Ianuensis pater.

R.P.Fr. Marianus à Cilento Prouinciæ Romanæ P. Guardianus Sanctæ Mariæ de Aracœli in Vrbe.

Guardianus Hierusalem R.P.Fr.Ioannes Baptista à monte Iano Prouinciæ Marchiæ pater.

Guard. S.Claræ Neapol.adm.R.P.F.Daniel à Meduna proc.Or.

Guard. S. Mariæ Magdal. adm. V. pater frater Iacobus à Portu Prou. Genuæ pater.

Guard.S.Mariæ Aegyptiacæ.adm.V.p.fr.Ioseph de Cerreto Prouinciæ Marchiæ pater.

Guard. S. Crucis Oeniponti adm. V.p.fr.Hieron. de Marchis ab Arcu.Vicarius eius adm. V. pater Bernardinus à Iudiciaria.

Sequuntur statúta edita à Capitulo Generali.

QVod semper in votis habuit, id maxima obsecratione,& exhortatione contendit à cunctis patribus & fratribus, Reuerendiss.P.Minister Generalis cum vniuerso Diffinitorio.In primis vt studeant tenaciter memoriæ retinere vota suæ professionis,toto pectore incumbendo efficaci eorundem obseruationi vt quicquid Deo Opt.Max.promisimus,plene præstemus,assiduis orationibus,& deuotionibus operam dando;ecclesiam,& maximè chorum frequentando; operibus spiritus inhærendo: Conuersationes verò sæcularium, nõ modo mulierum,verum etiam virorum intrinsecas, veluti spiritui deuotionis aduersas horrescendo:cum ipsis non nisi quantum necessitas exigit, tractando:Idq; ea modestia,& honestate,quæ decet filios D.P.nostri Francisci: vt illis deuotionis præbeant incrementum.

Pro vtraque Familia.

Inhibemus Commissarijs,qui ad visitandas Prouincias delegãtur, ne quemquã ad habitũ Religionis,seu nouitiatũ admittat', nisi de omniũ actualiũ patrũ consensu:nec recipiatur omnino quisquam, qui corpore sit vitiatus sub pœna priuationis.

Et quoniam experientia docuit,quòd ærumnosa,& perniciosa sit aliquarum sororum renũciatio vocis actiuę,& passiuę in electionibus Abbatissarum, & officialium, prohibemus ne posthac admittatur huiusmodi renũciatio,& abdicatio:& si quæ huiusmodi licentia inuenitur concessa, eam presenti statuto reuocamus, & abolemus.

Ad coercendum (quantum in Dño possumus) petulantiam,& vitium

tiũ apoſtatãdi, mandamus vt is qui primò apoſtatauerit, pœna appoſita à ſtatutis Aquilanis, & Valliſoletanis irremiſſib l ter plectatur: qui verò ſecundò in idem crimen inciderit, illi abdatur pœna comedendi panem cum aqua in terra ſine caputio quindecim continuis diebus. Qui autem tertiò id prȩſumpſerit vltra eaſdem omnes pœnas eo ipſo in perpetuũ omnibus actibus legitimis, & voce actiua, & paſſiua ſit priuatus; nec cuiquã liceat cum eo diſpenſare. Qui autem quartò reciderit, ſine remiſſione ad triremes per triennium omnino mittatur.

Renouamus ſtatutum Cõgregationis generalis in hoc cœnobio anno 1575. celebratȩ in percuſſores. Et illud quod dicitur de vulneribus gladio inflictis, declaramus, & volumus intelligi debere de pcuſſionibus etiã baculis, & pugillis, ſeu alijs huiuſmodi factis. Addẽtes inſuper, ꝙ huiuſcemodi percuſſores, qui ſic vulnerauerint vel verberauerint, ſiue fratres, ſiue ſȩculares ipſo facto priuentur, & priuati ſint voce actiua, & paſſiua, & omnibus officijs Religionis in perpetuum, & per menſem continuũ edãt in refectorio ter in hebdomada, de collo pendentibus illiſmet inſtrumentis, quibus ferire vel percutere prȩſumpſerunt.

Patres Ordinis habeant ſemper illamet priuilegia, quȩ habent ij, quȩ fuere Miniſtri in Prouincijs ſuis.

Fratres illi qui ſunt, & erunt per triennium ſecretarij RR. PP. Miniſtri, & Commiſſarij Generalium, computentur inter patres ſuarum Prouinciarum, & ſocium poſſint habere.

Prohibemus ne quis inferior patre Miniſtro, & Commiſſario Generalibus, aliquem fratrem Hieroſolymam mittere poſſit.

Et quòd Guardiani Hieroſolymitani cum ſuis familijs, nõ mittantur niſi tempore Capituli, vel Congregationis generalis.

Patres Miniſtri Prouinciales abſtineant quantũ in Dño poterunt à mittendis fratribus ad peregrinãdum per alienas Prouincias, vt euitentur vagationes indignȩ, & alia inconuenientia multa.

Confirmatur erectiones Prouinciarum Tyrolenſis, ſeptem martyrum, Granatenſis, & Sancti Georgij Philippinarum.

Mãdamus patr. Miniſtris Prouinciarũ, ne admittãt ad prȩdicãdũ, nec ad cõfeſſiones audiẽdas, nec ad ſacros ordines ſumẽdos, fratres alienarum Prouinciarum, niſi lectores aut ſtudẽtes fuerint.

Nullus ad Romanȩ Curiȩ Commiſſariatũ, ſiue Procuratoris munus aſſumatur, niſi Prouincialatus officio primò functus fuerit

Cauetur,

Cauetur, vt quicunq; Frm Ordinario Prelato, quæ digna sunt visitatione minimè detexerit, illa absq; legitima causa aliç visitatio ni futuræ reseruans (nisi de prætensa hmôi causę legitimatione satis constiterit) acriter puniatur. Nec ideo delinquētes visitādi à crimine absoluti existimentur, sed delictorū suorū sub Gñalibus Prælatis, siue eorum Commissarijs debitas luent pœnas.

Nullus ad Lectoratus officium promoueatur, nisi de scientia, & moribus per Ministrum, & Diffinitores examinatus, deq; eorum voto, & assensu.

Nullus patrum cuiuscunq; ille status, siue conditionis fuerit, Conuentus septa, quocunq; in euentu absq; licētia à loci Guardiano petita, & obtenta, egredi præsumat, sub hoc tamen statuto Generales Ministros, siue etiā Commissarios Generales officio functos, ob functi muneris dignitatē, cōprehensos minimè volumus. Quinimo qui Generalatus, siue Generalis Cōmissariatus munus obierint, absq; aliqua cuiusuis licentia, cum socio electo, siue assignato, extra Conuentum egredi queant.

Teneantur Ministri Prouinciales quanto citius indicare Patri Ministro, seu Patri Commissario generalibus, vel P. Romanæ Curiæ officialibus ab eorum Prouincijs apostatantium mores, & delictorum ab ijsdem commissorum, tum qualitatem, tum quantitatem, quatenus ijs apprimè cognitis, iuxta eorum exigentiam puniantur, & in Ordinem redigantur.

Pro Vltramontana Familia.

Statuitur, & ordinatur, vt Romanæ Curiæ Procurator, & Commissarius in Capitulo, siue Congregatione generalibus creati officioq; functi, secundum in sua Prouincia locum in consessū habeant, sintq; eiusdem Prouinciæ discreti. Hoc idem decretum sit etiā apud Diffinitores Ordinis nostri generales durante tēpore diffinitionis; quoad cōsessum, nō tamē quoad Discretoriatū.

Prouinciales Ministri, vel Commissarij, electioni alicuius Guardiani, præsidentes suos secretarios, vel scribas pro Auditoribus minimè assumant, ne fortè huiusmodi electionem violentari, siue vim pati contingat: sed huiusmodi Auditores ex ipsius Conuentus corpore seligantur.

Nullum de cætero intermedium celebretur Capitulum, cùm in Congregatione, quæ Capituli vim obtinet, Prouinciæ negocia diffiniri, euacuariq; possit.

Pro

Quia ex multiplici experientia edocemur, Conuentum nostrorũ in Regię Catholicæq; Maiestatis Cur. existentiũ, Guardianos plurimis implicari, impediriq; negocijs; cauetur, & ordinatur, vt pręfatæ Curiæ Commissarius, probus aliquis pater instituatur, qui solerti occurrentium negociorum, expeditioni pro viribus studebit, inuigilabitq; insuper, & dabit operã, ne quis fratrum expediendorum negociorum gratia, pręfatam Curiam accedat, vt interim fratrũ discursus vitentur, nec vllo pacto ad huiusmodi Commissariatus munus, Conuentus in Curia existẽtis, Guardianus assumi possit, cùm vtriq; officio neutiquam satisfacere valeat.

Statutum de habenda quolibet in Conuentu sacrorum Canonũ Lectione, inuiolabiliter in posterum seruetur, nec aliquis fratrũ ad excipiendas sacras sęcularium confessiones assumatur, nisi prius per integrum biennium sacrorum eorundem Canonum Lectiones frequẽtauerit: quamobrem Prouinciales Ministri in visitationibus ex munere habitis, Confessarios huiusmodi per se, vel per alios quàm diligentissimè examinabũt, vt qui idonei inuenti fuerint, confirmentur, qui verò nequaquam, reijciãtur.

Statuitur, vt quoties de excipiendis supremorum Pręlatorum defectibus, vt ad generale Capitulum deferantur, agendum fuerit, Prouincialis Capituli, siue intermedij, præfatum generale Capit. proxime pręcedentis, Pręses virum Notarium, siue scribã atq; testes, qui præfatorum Prę latorum defectus) si qui fuerint) ab omnibus vocalibus secretò excipiant, eligat, nominetque: si verò Congregatio tantum pro Custodis electione, siue alia re determinanda ante generale Capitulum habenda veniat, Prouincialis Minister Guardianos sibi subditos monebit: quatenus suis in Conuentibus (electis Notario, & testibus) de huiusmodi superiorum defectibus secretò inquirãt, & si quid aduersus eos inuenerint, id chirographo communitum, atque sigillo firmatum, vt nulli alteri constet, pręfatam ad Congregationem transmittant. Pręfatę verò Congregationis patres iuxta à Guardianis transmissa, processum instituant, nihil interim admittẽtes, quod per fide dignos testes probatum minimè fuerit.

Quoties Prouinciali Ministro ad generale Capitulum proficiscẽdum sit, vel alio necessario eundem, teneatur is tum Prouincię

sibi

sibi cōmissę Diffinitores, tum quoq; Discretos conuocare, atq. de eorum consensu, & voto ei in quem maior pars cōsenserit, præfatę Prouincię sigillum relinquere. Qua tamen in Congregatione, sicut & in quacunq. alia, eadem in Prouincia habita, prefati Diffinitores, & Discreti decisiuū habeant votum, non obstan. quibuscunq. ordinationib. in contrariū facientibus.

Suffectus Defuncto Diffinitori, ad huiusmodi Diffinitoriatus munus Prouinciali in Capitulo proximè subsequēti, assumi minimè valeat. Nullus etiam Guardianus defuncto Diffinitori sufficiatur: quod si secus factum fuerit, Guardianatu se abdicet. Huiusmodi interim vltimū inter reliquos Diffinitores locū teneāt.

Cōmissarij pro visitandis Prouincijs à Superioribus destinati minori Prouincię sigil'o vti poterunt, insuper & eiusdem Prouinciæ fratres, pro negocijs munus sibi cōmissum concernentibus, alias ad Prouincias transmittere valebunt.

Abbatissę post absolutum sui muneris triennium, nullo pacto, atque nullo in euentu ad idem munus, iuxta generalis Capituli Parisien. decretum, ante tres annos ab huiusmodi muneris functione elapsos, reassumi possint.

Pro Gallis, & Germanis.

Confirmatur statutum de non mittendis passim Commissarijs in Prouincias, nisi à Prouinciali Ministro, vel Prouincię patribus petantur, vel Ministro Generali pro legitima aliqua occasione, & causa aliud visum fuerit.

Statuitur, & decernitur, ne fratres Beneficiati, siue Curati, se deinceps Religionis nostræ rebus immisceant, ne eleemosynis, aut cæteris eiusdem Religionis emolumentis gaudeant, verùm etiā priuatis in ædibus habitent, ne interim conuentus propter frequentem mulierum, cęterorumq; secularium ad eos accessum turbentur, regularisq; disciplina soluatur.

Permittuntur Prouinciæ regi & gubernari iuxta noua atque antiqua Prouinciali statuta, consuetudinesq; ex more patriæ acceptas, quamdiu huiusmodi consuetudines Regulæ puritati bonisq; moribus minimè refragantur.

Quòd Discretorium Conuentus Parisini teneatur admittere omnes obedientias R. P. Generalis, sub pœna priuationis Guardianat us, quod si aliqua occurrerit difficultas, cert orem faciat de ea eundem Reuerendiss. P. qui curabit, vt eis satisfaciat.

Habeatur

Habeatur omnino ratio meritorum; quoad sufficientiam, & doctrinam promouen. patrum Lectorum in almo nostro Parisiẽsi Conuentu. Proinde Custos trium Prouinciarum obedientias, quas à Reuerendiss. P. Generali Ministro, pro Magistri sententiarum lecturam obtinuerunt penes se vsque ad primam Congregationem, quàm diligentissimè seruabunt: quatenus patrum Prouincialium, & Diffinitorum iudicio, dignioribus fratribus maiorisq; merito prædictis dentur.

Nullus promoueatur ad lecturam sententiarum in vlla parte, nisi de licentia P. Reuerendiss. Generalis sub pœna priuationis officij licentiam danti.

Fratres aliqua in Prouinc. Reuerendiss. P. Generalis auctoritate incorporati, ab ea minimè discedant, nisi præfati Reuerendiss. P. facultate freti, vel patrum Prouincialium vtriusq; Prouinciæ, consensu sibi fauente.

Pro Indis.

Statuitur, ne de cętero aliquis cuiuscunq; ille status, aut conditionis fuerit, ad nostrę Religionis habitũ ante vigesimumsecundũ suæ ætatis annum expletum, admittatur, Quo verò ad alia, quę litteraturæ competentiam cæterasq; conditiones ad huiusmodi admissionem necessarias, concernunt, generalia Toletanæ Congregationis statuta seruentur.

Statutũ de non mittendis extra Conuentum iuuenibus professis, ante completũ a professione annũ, moderamur insuper, & concedimus vt Prouincialis Ministri arbitrio, cui Discretorũ Conuentus consilium accedat, possint huiusmodi iuuenes, etiam ante duos annos à Religionis ingressu exactos, ad studia mitti.

Quia (vt multiplici edocemur experiẽtia) ob nimiã distantiã, quæ inter Limã, atq; S. Francisci de Quito, atq; nouum Granatense Regnũ, intercedit, Peruani Regni Cõmissarius, commissas sibi Prouincias lustrare vix potest, statuitur, & ordinatur, vt (si tamẽ regio Indiarum Consilio hoc probari contigerit) alius instituatur Cõmissarius, idq; ex Reuerendiss. P. Generalis Ministri electione, qui nouo Granat. Regno, Prouinciæ S. Frãcisci de Quito, Carachis, Insulę S. Dominici (quam Hispaniolam alio nomine vocant) ac ditioni sibi annexæ ius dicat, præsitq;.

Generalis Indiarum Commissarius, nunc existens, ac pro tempore futurus tum actiuam, tum quoq; passiuam vocem in Capitulo,

& Congregatione generalibus, atq; etiã capitularibus in actionibus, ex præsenti declaratione habeat, tũ quia in hoc Cismontana, & Vltramõtana familiæ cõsenserunt, tũ etiã quia S. D. N. Sixtus PP. V. ex proprio motu id vult, præfatoq; Commissario locum generalibus Commissarijs debitum assignat.

Generalis Indiarum Commissarius, in Catholicç Maiestatis Curia agens, quemlibet fratrem Indos petentem, siue ab eis reuertentem, crimini tamen obnoxium, præsenti ex decreto punire possit. Ministri verò Prouinciales, ad quos fratres huiusmodi delinquentes, à præfato generali Commissario remittuntur, siue illi fratres in eorum Prouincia, siue etiam apud Indos Religionis habitum induerint, pro viribus curabunt, vt pœnitentia eis iniuncta ad amussim executioni mandetur.

Ne fortè aliquis ignorantiam prætendere possit, præsenti statuto declaratur, nihil penitus Generalibus Commissarijs ad Indos destinatis, ad plenam sufficientemq; auctoritatem, qua subditis sibi fratribus imperare possit, deesse: idq; ex patẽtibus literis sibi datis, satis superq; constat, quamobrẽ, quotquot huiusmodi Cõmissarijs, tanquam legitimis prelatis, minimè paruerint, hi omnes excommunicationis pœnç obnoxij, atq; tum à quouis officio, & legitimis actibus priuationi subditi, præsenti statuto declarantur. A quibus tamen censuris & pœnis, vt ibidem constat nullus nisi ex summi Pontificis auctoritate absolui poterit.

Decernitur, vt in Hispalensi S. Francisci conuentu, vnus aliquis probus pater super fratres tam Indos adeuntes, quàm ab eis redeuntes, Vicecommissarius instituatur, quatenus, & istis atque illis opportunè adsit, vtrorumque inutiles vitet discursus, nullo pacto vt eorum aliquis Catholicç Maiestatis Curiam, nisi necessario id exigente negocio, accedat, consentiat; patentes huiusmodi fratrum literas examinet, ac tandem quicquid sibi à Generali Indiarum Commissario commissum fuerit, id sedulò, diligenterq; exequatur. Qui tamen Vicecommissarius, absente Generali Ministro, à præfato Generali Indiarum Commissario eligendus, instituendusq; veniat, ac eidem simul cum socio assumpto, subiacebit, parebitque.

Quicunq; fratrum in nouæ Hispaniç Prouincijs agens, ab eis ad Recollectos, siue Discalciatos transierit, postmodumque eos deseruerit, eam Prouinciam ex qua primò soluit, repetere te-

neatimeñ vero sub hoc prætextu in Hispaniam se contulerit, vt
Apostata habeatur puniaturque.

Fratres, qui Regiæ Maiestatis sumptibus, ad Indos, aliqua in Prouincia ipsis egente mansuri, traiecerint, eam petere teneantur, nec in aliqua commorari possint: quod si secus factum fuerit, Prouincialis minister eos recipiens, ab officio amoueatur. Poterit nihilominus Generalis Commissarius, apud Indos agens, si id necessarium fuerit visum fuerit visum, fratres sibi subditos de Prouincia in Prouinciam trasferre.

Statutũ quo cauetur, vt Guardianus officio functus, ad tẽpus vacet, apud Indos locũ minime obtineat. Dispensatur insuper cũ actualibus eisdem patriæ Diffinitoribus, & Prouinciali Ministro munere functo, quatenus Guardianatus officiũ obire possit. Prętérea requisitus per statutum fratrum aliquo in conuentu numerus, vt eorum Prælatus dici possit, nullius apud Indos, idque rationabili de causa, erit roboris vel momenti.

Qui vero de doctrinis à fratribus retinendis, siue reijciendis, sępe controuersum fuit, nec id regia Maiestate eiusque Concilio insultis commodè diffiniri potest. Quia etiam Indi de nouo ad fidem conuersi, ministris qui sibi in spiritualibus opportunè adsint, summopere egent, statuitur, & decernitur, vt nostri fratres huiusmodi doctrinas retineant, illisq; inuigilent, idq; iuxta decretũ à Catholica Maiestate circa hoc vltimo datũ. Quod si secus à pręfata Regia Maiestate determinatũ fuerit, vt videlicet pręfatæ doctrinæ Epis, sæcularibus sacerdotibus cõmittendæ relinquatur pręsenti statuto, idq; in sanctę obedientię virtute, ac sub excommunicationis latę sententię pœna, omnibus religiosis apud Indos agentibus cuiuscũq; status siue conditionis fuerint precipitur, vt viso regio huiusmodi decreto, prę fatis doctrinis vlla absque contradictione, ex tempore cedant.

Cauetur, idque ex vltramontanorum patrum Diffinitorum, aliorumq;, quorum id muneris est, statuto, in Salmaticensi sancti Francisci Conuentu, generale pro vltramontanis fratribus studentibus gymnasium, quemadmodum, & in Complutensi Prouincię Castellę, statuatur; quandoquidem scholarum penuria laborant: & à Catholica, regiaq; Maiestate cautum est, ne quis ex sibi subditis, aliena Regna, siue extranea, literis vacaturus, petat; & pręfatus Cõplutensis Conuentus non ita multos capere

 potest.

potest. Reuerendiss. autem pater Generalis, tum Prouincias, ex quibus fratres ad huiusmodi Conuentus defluant, tum eorundem fratrum numerum, tum tempus huiuscemodi studio deputatum, tum quoq; portionem ab vno quoq; studentium exponendam, ac cętera ad fęlicem prętatorum gymnasiorū progressum, decernet pręfigetq;ue.

Pro Cisalpinis.

Ante omnia pręcipit Reuerendiss. P. Generalis, patribus Ministris, vt specialem exactamq; curam gerant rerum cunctarum, quę ad seruitium, & cultum diuinum pertinent, tum in Ecclesia, tum in Sacristia, & pręsertim in custodiam Sanctissimi Sacramenti. Huic proximè rei diligentiam adhibeant curę infirmorum, vt illis, quantum in Domino fieri poterit, nihil desit necessariorum, & in hoc charitas fulgere dignoscatur. Monet autem ipsos, vt si segnes, & negligentes visitando eos deprehenderit, pœnas dabunt omnino graues.

Et vt plenę executioni sacri Cōcilij Tridetini sanctiones demandentur, eisdem Ministris sub eorum munerum priuationis pœna mandatur, ne suos clericos ad ordines sacros promoueant, nisi post annum à subdiacōnatu, & post alium annum à Diaconatu ad Sacerdotium.

Cauetur insuper, ne Prędicatores, qui mittuntur à Reuerendiss. Patribus Ministro, & Commiss. Generalibus in alienas Prouincias ad verbum Dei prędicandū, id facere pręsumant, priusquam benedictionem à Ministro illius Prouincię obtinuerint, saltem per epistolam, si pręsentialiter eam petere nequiuerint: quod si neglexerint, peccasse se sentiant.

Nullus deinceps Fr. ad Prędicationis officiū admoueatur, qui sacrę Theologię triennio continuo nō studuerit. Ministri verò, & Diffinitores, qui hoc statutum non impleuerint, vel neglexerint, eo ipso ab officio, & dignitate decidant, & sic promotus contra hoc mandatum, decennio à Prędicatione cesset.

Nullus quoq; Fr. in Sanctimonialium Confessarium eligatur, seu promoueatur, qui ad suę ętatis quadragesimum, & ad vigesimum annum in Religione nō ascenderit, nec ipsis, socij nisi senes, maturi, & exemplares assignentur. Ipsi verò Confessarij, post biennium in tali munere transactum, non vlterius depu-

tentur, nisi vacauerint, seu cessauerint per integrum annum, & idem sancitur de ipsis socijs, vbi fieri commode queat.

Ad iuuenum ambitionem cohibendam, disciplinamq; regularem fouendam, decernitur, ne posthac aliquis Fr. ad Guardianatum possit assumi, qui in Religione annos decem non consumauerit, & ad ætatis trigesimum accesserit, in qua ætate iam maturitas, & prudentia vigent, & qui antea non fuit Guardianus, ad id muneris non promoueatur, nisi Vicariatus, vel Magistri, Nouitiorum saltem biennio munere sit functus. Excipiuntur tamen ab hoc statuto, Prouinciæ vltramarinæ, quæ Fratrum paucitate laborant, necnon, & Fratres, qui fuere lectores, vel quinque aut quatuor annos prædicauerunt.

Ad Diffinitoriatum nullus Fr. qui saltem quindecim annos non vixerit in Religione, & prius tribus annis Magistri nouitiorum officium, vel clericorum exercuerit, vel sex annis prædicauerit, vel munus lectoris quadriennium sustinuerit, vel à secretis fuerit Ministri, aut aliorũ ordinis Prælatorum maiorum, per triennium integrum, eligatur.

Nullus delegetur Commissarius ad Prouincias, qui non fuerit, aut Minister, aut Pater ordinis, vel Procurator ordinis, aut Commissarius Curiæ, qui iam inter patres ordinis computantur.

Ordinamus, ne quis frater, vel aliqua monialis, literas scribere audeat, nisi sub titulorum forma sequenti, videlicet, Patribus Ministro, & Commissario Generalibus præsentibus & præteritis, scribatur Reuerendiss. &c. Patribus Ordinis, Multum Reuerendiss. &c. Ministris Reuer. &c. omnibus illis, qui funguntur Prælatione, vel lectura, vel prædicatione Multum Venerando, &c. simplicibus Sacerdotibus, Venerando, &c. Clericis, & Laicis Deuoto religioso, nec aliter sub actiuæ, & passiuæ vocis priuationis pœna fiat.

Declaramus in Prouincia Austriæ incorporatum monasterium, quod Galliarum Christianissima Regina Vidua construxit in Ciuitate Viennæ.

In omnibus visitationibus Prouinciarum, Ministri Prouinciales teneantur per se, vel per alios peritos, sæcularium Confessarios examinare, vt hac occasione solicitati, magis in studio Canonum, & casuum conscientiæ, se exerceant.

Mandamus, quod omnes fratres, qui ad triremes fuerunt damnati,

vel tale facinus patrarunt, quod in sęculo essent morte plectendi, si misericorditer postea ab ipsis triremibus, vel carceribus liberati venerint, sint perpetuò indispensabiliter voce actiua, & passiua, actibusq; legitimis priuati: declarantes tamen, quod in hoc statuto non includuntur, aut comprehenduntur, nisi qui posthac deliquerint, in cursos sam comprehendi nolentes.

Qui grauiora negotia sustinent, grauissimosq; labores, ac manifesta pericula pro Dei seruitio, proq; religionis honore subeunt, æquum est, rationiq; valde consentaneum, vt singularibus prærogatiuis gaudeant, ac specialibus subsidijs subleuentur. Quapropter, vt Guardianus Hierusalem, ac totius terræ Sanctę Cómissarius ad propria reuersus, omnibus priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, & prærogatiuis, quibus gaudent, qui ministeriatus officio functi sunt, in sua Prouincia gaudeat, & gaudere possit, præsenti decreto constituimus.

Sequuntur statuta seruanda à Generalium Studiorum, tam Prælectoribus, quàm Studentibus.

CVM certum sit ex iuuentútè nostra, tum Philosophicis, tum sacris quoq; literis benè imbuta, & erudita, magnum decorem, magnamq; vtilitatem, & existimationem Religioni nostræ Franciscanæ prouenire; visum est nobis, vt in alia per Orbis partes in Religione disposita, specialia quædam certis in locis Italię studia instituere: vbi maior cura, & diligentia imbuendis iuuenū mentibus adhibeatur. Propterea omnibus benè perpensis, statuimus huiusmodi scholas, quæ gñales, & priuilegiatę appellabūtur, sequētibus in locis instituere videlicet.
Romæ in cœnobio Aręcœli,
Neapoli in cœnobio diuę Marię de Noua,
Perusij in cœnobio diui Francisci de Monte,
Venetijs in cœnobio S. Francisci de vinea,
Bononiæ, in cœnobio Annunciationis.
Et quia huiusmodi negocium ex certis legibus pendere oportet, has sequentes, tam ipsis patribus Prælectoribus, quàm scholaribus immutabiliter seruandas, præfigere decreuimus.
Primò quidem, vt per totum annum (exceptis tantummodo festiuis, & canicularibus diebus) absq; vlla cessatione, seu interpellatione,

latione, in Aduentu quoque & Quadragesima legatur, ita quidem, vt quolibet anno, quisq; lector vnum ex sententiarum libris prælegat, & absoluat: deinde, vt ipsi patres Prælectores socios sibi gratos habeant, cum quibus, siue cum alijs, sine tamen licentia speciali patrum Guardianorum Conuentuum, egredi minimè possint, nec plures, quàm vnicum socium habere valeant, siue sint Prædicatores, siue Diffinitores, siue Ministri officio functi, & quicunq; alius frater, siue pater, exceptis tantummodo ijs, qui Generalatus siue Generalis Commissariatus munere fuerint functi.

In ipsis quinq; generalibus studijs, ex qualibet Prouincia studentes assumi, & collocari poterunt, dummodo prius à patre Commissario Generali, vel ab idoneis patribus, ab ipso deputatis, fuerint diligenter examinati, & comperti Logices, & Philosophiæ cursum consummasse.

Statuitur quoque, vt studentes sic probati eius Prouinciæ, in qua aliquod huiusmodi studiorum fuerit erectum, cęteris aliarum Prouinciarum præferantur.

Numerus eorum scholarium erit in Romano sexdecim: In Neapolit. trigintaquinque: In Veneto sexdecim: In Perusino sexdecim: In Bononiensi totidem, inter quos tamen patrum Lectorum socij non computabuntur.

Et vt cursus huiusmodi studiorum nullo impedimẽto interrumpantur, & perfectius consummetur, statuimus, vt eo temporis, quo sacris literis vacauerint, quod triennale erit, nec concionari, nec sacras confessiones audire valeant.

Præcipimus insuper, vt præfati studentes in circularibus disputationibus, & lectionum repetitionibus exerceantur alternis diebus, tum repetitionibus, tum disputationibus intendant, & occupentur & quisquis eorum, illis abnuerint interesse, & exerceri absq; legitimo impedimento, subiaceat disciplinæ, alijsq; arbitrarijs pœnis. In quolibet insuper præfatorum studiorũ loco, publicæ, siue generales habeãtur disputationes, quibus ipsi studentes sub iam dictis pœnis, interesse teneantur.

Item præfati studentes (cum vacantiæ non erunt) nec Primæ, quo tempore, duæ habeantur lectiones, nec Completorio, neque illis temporibus, quibus à meridie tenebitur circulus, vel repetitione lectionum occupabuntur, Choro adesse teneantur: verumtamen

rum tamen diebus festiuis; & quando vacantiæ erunt his priuilegijs minimè gaudeant, sed Choro vniuersi insistant.

Ab oratione mentali, sicut nullum Fratrem, siue Patrem cuiuscunque conditionis existat, sic nec ipsos studentes eximimus, aut absoluimus, sed illi interesse mandamus: quæ oratio hyemali tempore per integram horam post Matutinum, æstiuali verò per tantundem temporis post Nonam habeatur, idque sub disciplina, atq; alijs pœnis, patris Guardiani arbitrio infligendis; quem monemus si in huiuscemodi pœnarum illatione negligentior fuerit, abdicatum, & depositum iri à munere suo.

Mandamus vlterius Prouincialibus Ministris, vt studentibus præmemoratis ex eorum prouincijs assumptis, de sequentibus rebus diligenter prouideant: Illis quidem qui erunt in propria prouincia, de oleo, papyro, femoralibus, Calepodijs, atq; amictu, siue vestitu. Illis verò, qui in aliena erunt Prouincia, de octo coronatis (quos scutos vulgò vocāt) quolibet anno, quos tamen præfati Ministri, vel à prædicatoribus iuxta decretum in Romana Generali Congregatione, sub anno Domini Millesimo quingentesimo septuagesimo quinto habitū, vel aliunde, iuxta eorum prudens iudicium, exigere poterunt.

Postremò statuimus, vt extra vacantias præfatas, prememorati studentes Conuentum, nisi bis in mense, egredi minimè possint. Poterit tamen Guardianus eis facultatem tribuere, quatenus prælectoribus annuentibus campos adire possint.

Capitulum Generale futurum, relinquitur arbitrio Reuerendissimi Patris Ministri Generalis.


Congregatio Generalis futura designatur in Cōuentu Sacri Mōtis Aluernæ.

Mortui sunt à Capitulo Parisiensi Fratres. 5792.

DECRE-

DECRETVM SACRÆ REGVLARIVM

Congregationis, contra Regulares ad Vrbem temerè leuiuè, ex causa accedentes, absque eorum Superiorum licentia.



QVONIAM nonnulli Regulares vagandi studio, siue dum imminentem admissorum criminum pœnam ex suis constitutionibus, aut aliàs debitam, sibi metuunt, falsa & commentitia grauamina causati, non ad immediatè sui ordinis Superiores, scilicet à grauamine Prioris ad Prouincialem, à Prouinciali, ad Generalem, à Generali, ad protectorem, prout cuiusq; Religionis constitutionibus disponitur: sed ad hanc Romanam Curiam absque licentia sæpius fugiunt, potius quàm recurrant, ex quo Ordinum disciplina relaxatur, Prælati contemnuntur, & ipsi indies audaciores euadunt. Placuit Sacræ Regularium Congregationi ex ordine Sanctissimi statuere, vt si quis Regularium in posterum temerè, leuiuè, ex causa hanc Almam Vrbem seu Curiam, absque sui Superioris licentia, & supradicta forma prætermissa, adire præsumpserit, ad suos eosdem Superiores seueriori pœna plectendus remittatur.

Fr. Michael Bonellus Cardinalis Alexandrinus.

Georgius Palearius V. I. D. Secretarius.

Fr. Franciscus à Tholossa Minister Generalis.

C BREVE

S. D. N. SIXTI PAPAE V.

Pro Confirmatione prædictarum ſtatutorum.

SIXTVS PAPA V. Ad perpetuam rei memoriam.

ET communis cura paſtoralis officij nobis licet immeritis diuinitus iniuncti, & peculiaris noſtra deuotio, quã gerimus erga beatum Franciſcum, eiusq; familiam vniuerſam, in quam iam inde a teneris annis aſcribi voluimus, atq; adeo Fratrum eiuſdem ordinis Minorum, qui de Obſeruantia dicuntur, pietas, & Eccleſiæ Dei vtilis, & fructuoſa opera, quam aſſiduè præſtant, iure optimo nos inducunt, vt ea, quæ pro ipſorum religioſorum bono regimine ſalubriter ſtatuta fuiſſe dicuntur, libenter noſtra auctoritate interpoſita roboremus.

Cum itaq; in Capitulo generali dictorum Fratrum Ordinis Minorum, de Obſeruantia nuncupatorum, in hac Alma Vrbe noſtra, in Domo Beatæ Mariæ de Araceli nuper celebrato, iidem Profeſſores dicti Ordinis, de vniuerſis Chriſtiani Orbis partibus, & Prouincijs, conuocatis omnibus ijs, qui huiuſmodi Capitulo potuerunt, voluerunt, & debuerunt intereſſe, in ſimul legitimè congregati, præſidente in eo auctoritate noſtra, dilecto filio noſtro Ferdinando, Sanctæ Mariæ in Via Lata Diacono Cardinali de Medicis nuncupato, eiuſdemq; ordinis apud nos, & Sedem Apoſtolicam Protectore, nonnulla ſpiritualem profectum, & quietem, ac proſperum incrementum eiuſdem Ordinis, non modo quoad Fratres ſed etiam quoad Moniales Sanctæ Claræ, vel etiam alterius ordinis, quæ ſub ipſorum cura, & regimine degũt, matura deliberatione præhabita ſtatuerint, & ordinauerint, prout in tabula eiuſdem Capituli generalis, ſiue alijs ſcripturis deſuper confectis plenius continetur.

Nos ſtatuta, & ordinationes huiuſmodi, ac illa concernunt, omnia, & quæcunq; in tabula, ſiue ſcripturis prædictis contenta, quorum tenores præſentibus haberi volumus, pro expreſſis, quatenus licita, & honeſta ſint, ſacris canonibus, & præſertim Concilij Tridentini decretis non aduerſentur.

Ac